



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Veniam dantes homini veniam impetrantes apud Deum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

fationem; neque maior est spes diuinæ misericordiæ impetranda, quàm si in opere misericordiæ ipsi moriamur. Hæc opera sunt insignia, atque ornamenta eorum, qui vt nobiles & illustres Dei Filij se gerunt. Misericordia est torques aurea, qua se sponso suo animæ condecorant. Qua de causa dicitur à Salomone: *Misericordia & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & disciplinam bonam, coram Deo, & hominibus.* Quæ verba exponens S. Chrysoſtomus ait: *Sicut filij Principum torques aureas, & catenas gemmis ornatas collo appendere solent in signum nobilitatis, ita planè qui filiorum Dei adoptione gaudent, libenter his opibus & ornamentis fulgent, tamquam filij eius, qui misericors est. Estote (ait Christus) misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Et post pauca. *Torquem hunc aureum anima aptemus (eleemosynam dico) quam diu scilicet hic fuerimus. Nam cum atas hæc præterierit, non amplius eo utemur. Quod enim in pueris evenit, vt cum ad virilem ætatem peruenierint, ista deponant, atque alium assumant ornatum, idem quoque in nobis: etenim ibi non erit eleemosyna ista, qua pecunijs fit, sed alia quadam longè maior.* Quænam? Nimirum reuelatio arcanorum, quam hi, qui gloria superiores sunt in celo, quasi stipem quamdam inferioribus, ac sibi subiectis erogant, Dei videlicet consilia manifestantes. Quamquam autem diuiti supra dicto, ea retributio facta sit, ob misericordiam, quam Christo in mendici schemate exhibuit, lex tamen illa est generalis, extenditque se ad omnia, quæ alijs præstamus, etiam alia, quæ misericordiæ opera. Ait enim: *Omnia, quacumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Propheta, hoc est, summa totius legis, & Prophetarum.*

IV.

Matth. 6. 12.

Talioem petere nos iussit Seruator etiam tunc, quando docuit sic orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester caelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Cuius consolabile exemplum recitat Blasius Melanefius, & post eum Baronius, de Ioanne Gualberto, adhuc sæculari, qui postea sanctissimus Abbas ac pater monachorum Vallis umbrosæ fuit. Is enim inimicitiarum ac irarum parentis non minùs, quàm facultatum hæres incidit

Prov. 3. 7.

S. Chrysoſt.
ep. ad Philip.

Luc. 6.

Matth. 7. 12.

Blas. Melanef
in vita
eius apud
Sur 72. Inl.
& Baron.
tom. 11. ad
An. Dom.
1091. 1.

incidit aliquando in hostem interfectoremq; propinqui sui, cuius
 diu exoptauerat interitum, loco tam angusto, vt neuter posset de
 via desistere. Ibi enim uerò inimicus ille in geminis angustijs ani-
 mi & viae fuit. Atq; vt aueretur periculum, etiam inermis erat.
 Quid igitur aliud expectare poterat, nisi vt miserandum in mo-
 dum trucidaretur? In summo discrimine, ad clementiam confugit.
 Nam ex equo desiliens, humi se prostrauit, junctisque manibus
 supplex petijt. sibi, ob Christi crucifixi amorem, veniam dari. Ioan.
 Gualbertus, audito crucifixi nomine percussus, cogitauit utique
 illud: *Si non dimiseritis hominibus peccata, nec pater vester dimittet*
vobis peccata vestra. Quamobrem amore illius, qui in cruce dixit:
Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt, pacem illi obtulit,
 iustumque è terra surgere incolumem liberumque dimisit. Ab hoc
 facto Ioannes deinde intrauit in templum S. Miniati, quod nunc
 arce Florentinae ciuitatis obducitur, ante Christi crucifixi imagi-
 nem genua flexit, ibique & ipse supplex veniam suorum peccato-
 rum flagitauit. Et mira res accidit. Vidit enim manifestè in cru-
 ce pendens ligneum caput moueri, atque ad se inclinari, tam-
 quam vicissim ignoscentis, aut gratias agentis, quod pro eius
 amore ac pietate in Redemptorem iurato hosti pepercisset. Ad-
 dit Author: *Hodieq; hoc est, post annos quingentos adhuc visitur, &*
pie colitur sacra illa Christi crucifixi statua: cerniturq; ad facti memo-
riam sempiternam etiam nunc caput eius exporrecta fronte motum
longius à ligno, cui suffixa est, non in grauati morem demissum, sed eius
potius, qui amicum benigne saluter, illiq; praestitum officium gratuletur.
 Quam verè igitur dixit Dominus ac Iudex noster: *Si dimiseritis*
hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater vester caelestis pecca-
ta vestra? Quem in finem & S. Cyprianus ait: *Praeclara & diui-*
na res salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostra
salubre praesidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati. Re-
 citè igitur D. Augustinus ait: *Quotiescumq; Natalem Domini, aut*
reliquas solennitates celebrare disponitis, odium velut venenum morti-
ferum de corde vestro repellite; & tanta sit in vobis charitas, qua non
solum vsque ad amicos, sed etiam vsque ad inimicos perueniat, vt secure
possitis dicere in oratione Dominica, dimitte nobis debita, sicut & nos di-
mittimus debitoribus nostris. Nam qui scit, se vel unum hominem odio
 R r r habere

Matth. 6. 14.

Luc. 12. 34.

Matth. 6. 14.

S. Cyprian. serm. de elec-
 mofyaa.

S. Augustin. serm. 1. de
 temp. in Do-
 minica 3. Ad-
 uent.

Ioan. 3. 15.

S. Hieron.
ep. 36.

S. Greg. I. 10.
Moral c. 18.
Matth. 5. 23.

V.

Matth. 5. 7.

Matth. 18. 28
Matth. 25. 40.

S. Greg. Nyff
lib. de beat.
Augustin. lib.
1. de ser. Do-
mini in mon-
te, Leo hom.
de omnib. SS.
Prou. 14. 21.
Psal. 40. 7.
Sophoc. in
Oedipo Co-
lonco.
Luc. 6. 38.
Hesiod. in L.
Georg.

habere, nescio si ad altare Domini securus possit accedere, cum precipue Ioannes Euangelista terribiliter clamat, & dicat: Qui fratrem suum odit, homicida est. Nam vestrum est iudicare, utrum homicida, ante, quam poenitentiam agat, presumere debet Eucharistiam accipere. Similia scribit S. Hieronymus ad Castorinam, & D. Gregorius in Iob. Quorum ille ait: Quid agemus nos in die iudicii, super quorum iram non unius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit? Dominus loquitur in Euangelio: Si offers munus tuum ad altare, ibiq; recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, reconciliari prius fratri tuo, & sic offera munus tuum ad altare. At S. Gregorius ait: Contra institutionem postulationis, conditionem posuit pietatis, dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; ut profecto bonum, quod a Deo compuncti petimus hoc primum, cum proximo conuersi faciamus.

Ad misericordiae talionem particulatim pertinet illa quoq; promissio: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Quamquam & hoc de omni misericordiae genere potest intelligi, teste D. Hieronymo & Theophylacto. Cum enim aequissimum sit, ut misericordiam exhibeant misericordiam consecuti, ut dicitur alibi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui miserus sum? Christus autem pronuntiari, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, merito idem Dominus, in suis, misericordiam consecutus, vicissim miseretur eorundem, quos in suis expertus est fuisse misericordes. S. Gregorius Nyssenus tamen, Augustinus & Leo recitatam sententiam proprie de eleemosyna intelligunt, quia qui miseretur pauperis, beatus erit, ut est in Prouerbijs. Et, Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Sed utique misericordia latius se extendit, quam ad eleemosynas; & misericordiam meretur, quisquis misericors fuit, & sit miser. Quia, ut vel Sophocles dixit, ἡ χάρις χάριν φέρει, gratia gratiam affert. Et alibi ipse Christus: Dato, & dabitur vobis. Cui aliqua ex parte respondent illa Hesiodi: Equum, ut ametur amans: qui accedit, iungitur illi. Da tibi, qui dederit: qui non dederit tibi, ne da.

Dand